



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118510

§. 33. Lutheri liber, cui titulus: Concio militaris, seu castrensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

Sæc. XVI. Comitia solvebantur, simulque alius
A.C. 1542. Principum Conventus mense Januario
 anni sequentis Norimbergæ celebran-
 dus indicebatur.

§. XXXIII.

*Lutheri liber, cui titulus, Concio
 militaris, seu castrensis.*

*Sleid. p. 463.
 Spond. hoc
 anno n. 4.*

Hoc anno absolutis Spirensibus Comi-
 tiis Lutherus libellum edidit, cui
 ab eo titulus fuit inscriptus: *Concio ca-
 strensis*; cum enim primis annis inter ce-
 tera de Turcarum bello traderet, quod
*non modo ea, quæ Deus nos velle vult, sed
 etiam cuncta, quæ Deus vult, velle debeat-
 mus, atque exinde inferret, quod belli-
 gerare cum Turcis nihil aliud sit, quam re-
 sistere voluntati Dei, qui nos per eos casti-
 gare vult, ac propter hanc doctrinam
 Lutherus in censura, qua ejus proposi-
 tiones fuerunt notatæ, a Leone X. fue-
 rit damnatus, ideo in præfato libello
 suam sententiam retractare videtur, at-
 que in eadem Concione hoc anno divul-
 gata contrariam tradit doctrinam, ita
 scribens: *Magistratui militiam adversus
 Turcam imperanti præsto sint omnes ac non
 modo fortunas, verum etiam se ipsos im-
 pendant.* Postea hortatur Principes, ut
 expergiscant adversus hostem adeo cru-
 delem, ac tantopere vigilem, qui, sic
 inquiebat Lutherus, *per suum Alcora-**

num Evangelii doctrinam extinguere molitur. Verum ea res non pertinet ad Pontifices; cum enim ipsorum munus sit peculiare Verbo Dei & precationibus oppugnare, minime decet, ut ea neglecta statione, machinis & armis rem gerant. Cæsaris proprie officium est in Turcam belligerare, non quidem vindictæ, vel gloriæ, vel emolumenti causa, verum ex officio, nimirum, ut ab injuria suos defendat subditos: Neque vero Cæsar his verbis ad bellum excitandus est, tanquam ipse esset Orbis Christiani Caput, Ecclesiæ protector, fideique defensor: nam ejusmodi tituli sunt falsi atque ventosi, & ad injuriam Christi pertinent, qui solus Ecclesiam suam defendit. Ceterum Christiani, qui vel jam sunt in Turcarum potestate, vel in servitutem ab illis olim rapiuntur, patienter ferant suam servitutem, atque a speciosa illa Turcarum atque fucata religione diligenter sibi caveant, nec ad ipsorum religionem deficiant. Tandem in fine hujus libelli precationis normam subjungit ad Deum contra furorem ac barbaram horum infidelium sævitiam.

§. XXXIV.

Apologia Eckii adversus Bucerum.

Sub idem tempus Eckius quoque pro Cochl. l. e. Catholicis apologiam edidit adversus Buceri calumnias; cum enim hic Protestantium Theologus de Ratisbo-